

1574

quam ille prudentia & sanctitate florentem appellabat, consilium exquirat; id uti a prepotenti, atque amplissimo Senatu profectum summo loco habiturum. Maximilianus Henricum omni liberalitatis cultu excepit; ad eum invisendum ac consalutandum Senatus nomine Venetus orator accessit; atque in Galliam rediens, an Venetias pertransire statuisset, perconatus, quæcumque a veteri in Galliæ Reges benevolentia atque observantia proficisci a Republica poterant, detulit. Henricus præcellentem Venetiarum urbem videre, Principem Patresque salutare decrevisse affirmat. Catharina Medicea, mater, quæ antea per legatum Ferrerium, suo, atque Alenconii filii nomine, de Caroli obitu Patres certiores fecerat, iisdem filii, Sarmatiæ Regis, desiderium significavit.

*Henricus
Rex Venetias
accidere statuit.*

*Senatus
legatos ad
Henricum
in Carno-
rum finis
excipiend-
am mittit.*

Italiam Henrico appropinquanti, cum haud longe a Venetis limitibus abesset, nullum officii genus, quo potentissimum sibi Regem demereretur, atque in tanto excipiendo hospite publica magnificentia eluceret, omittendum Senatus censuit. Quatuor insignium maxime civium legatio decreta, quæ illum in finibus Reipublicæ exciperet, atque per ejus ditiones comitaretur: Andreas Baduarius, nuper ex Byzantina legatione reversus; Joannes Michaelius, legationibus apud cunctos fere Europæ Principes clarissimus; Jacobus Superantius, & Jacobus Fuscarenus, qui nondum in Cretam profectus erat, classis ambo imperatores. Iis, ut in Carnos ad Regem excipiendum cum frequenti patriciorum atque insignium virorum comitatu se conferrent, imperatum. Sinus Adriatici præfecto, ac Joanni Baptistæ Contareno, cui nuper Cretæ custodia mandata fuerat, ut ad urbem cum triremibus duodecim accederent, præceptum; atque ut cuncta recte administrarentur, tribus ex medio Præconsultorum ordine munus delatum, Leonardo Donato, Alberto Baduario, Laurentio Bernardo. Nemo Italarum Principum fuit, qui non illustri aliqua significatione in Galliam Henrico redeunti vel observantiam vel benevolentiam testaretur. Gregorius Philippum nepotem, Sancti Sixti Cardinalem nuncupatum, legationis, quam *a latere* vocant, dignitate decoratum, Venetias misit. Emanuel Philibertus Sabaudia, Alphonfus Estensis Ferrariæ, Franciscus Mantuæ Duces, atque alii præcipui Italiae Dynastæ, ad urbem officii & honoris gratia

*Itali Prin-
cipes & le-
gati ad
Henricum
Regem Venetias
con-
sunt.*